

XAINTES



SANTONES ex antiquissimis Gallia populis esse, argumento est, quod Ptolomeus lib. 2. ca. 7. tab. 3. Europa, & Strabo li. 5. Geographiae, eorum mentionem faciunt. quorum vnus tempore Augusti, alter annis 50. post vixit, qui illos apud mare sedes habere, inter Pictones & fluuium Garumnam, memoriam commendarunt, tria quoque illorum loca, Mediolanium nempe, Portum & Promontorium Santonum nominant. Huius Prouinciae Territorium nulli in Europa cedit, veteresque Absynthium & alumen Santonicum alijs praetulerunt. Et est Metropolis Santonum vicina fertili fluuio Charentio, qui originem suam in loco Charemac dicto, inter Lemogunum & Angolismiam urbem, sumit, cursumque suum per Siurium, Angolismensem prouinciam & Coignacum dirigens, Santonum alluitur, & ad Soubisum, vbi rursus mari se insinuat, spatium 25 circiter milliarium, a fonte primaque sua origine. Vix etiam negari potest, hanc urbem a Ptolomeo Mediolanium vocari, quaecumque enim Mediolanum conueniunt & adaptari possunt, Santonibus optime quadrant. Latitudo siquidem & longitudo Mediolanij a Santone vix discrepat, vnam eandemque metropolim huius Prouinciae diuerso nomine representant, quae civilem & Ecclesiasticam Iurisdictionem semper exercuit. In temporis quoque antiquitate nulla est disparitas, iam inde a tempore Apostolorum Mediolanij sedes Episcopalis huius Prouinciae fuit. Deinde veteres murorum structure & aliae antiquitates, quae passim conspiciuntur, sat luculenter demonstrant, Mediolanium fuisse Santonum quondam Metropolim, nomenque hoc postea a Romanis mutatum, & a populi nomine, qui ei Imperabat, appellatum. quod idem accidit Perigurijs, Lemouicibus & Parisijs, quarum nomine mutato, aliud vicissim ab incolis sortitae sunt. Inter alia antiquitatis monumenta, videntur ibi adhuc fundamenta, ruderaque ruinarum Amphitheatrum ei simile, quod Perigordij est extra urbem, & circa iter, quod Santano-Angelium oppidum versus tendit; videntur aliqua frustra Aqueductus, aquarumque & fontium canales, qui in Ciuitatem ducebantur: sed maiore admiratione dignus est Arcus antiquus in ponte fluuij Charentae ante urbem, in quo arcu ab vno latere haec verba leguntur. Caesari Nep. Diui Iulij Pontifici Auguri. Ab alio latere huiusmodi characteres, vt plurimum detriti conspiciuntur.

C. IULIVS. CI. ICTVNEV... RVFVS... IS NEPOS E... POV. SACERDOS ROMANAE... LVENTEM. PRAEFECTV... P. RO.

Caesare in Gallia bellum gerente, & etiam paulo post sub Augusto Iulij Caesaris Nepote Santones cum aliqua Aquitaniae parte a Romano exercitu subacti sunt. Et possumus hic meminisse Ouidij libri. 1. eleg. 7. qui de mari Santonico sic loquitur.

*Non sine me est tibi partus honos: tu bella Pyrenae
Testis, & Oceani litora Santonici.
Testis Avar, Rhodanusque, celer, magnusque Garumna
Carnoti, & flauis caerulea lympha Liger.*

Ammianus Marcellinus lib. 15. Santones inter praecipuos & primarios Galliae populos refert, his verbis: Prima Gallorum Prouincia Aquitania scilicet est valde populosa, pulchras & splendidas ciuitates complectitur, &c. Alia, quae de hac insigni vrbe & circumiacentibus regionibus afferri & notari possent, missa facio; Illud tantum dixisse sufficiat, Santones, ceteros Aquitaniae populos antiquitate vincere, vbi praeter iam dicta tot amoeni prospectus, tot hortorum decora, tot agrorum lumina, vbi denique, cum ciuitas sit temperatiore sub climate constituta, aeris salubritas maxima. Absynthium porro Santonum Martialis lib. 9. Epigram. 96. sic commendat.

Santonica medicata dedit mihi pocula virga
Os hominis, mulsam, me rogat Hippocrates.

Vestitum veterum Santonum idem Martialis hoc carmine exprimit.

Gallia Santonico vestite Bardocucullo,
Cercopithecorum penula nuper erat.

Linqvo varias Saxonum, qui tum vocabantur Barbari, excursiones, quibus olim Santones exagitati sunt, quarum seriem ex Sidonij Apollinaris lib. 8. epist. 6. qui seire cupit, poscat. Ad Orientem Santonum vrbs Angolismensibus affinis est, ad Occidentem mari Oceano terminatur, vbi duae Insulae sitae sunt, Oleron lepulculis & cuniculis abundans & Maerenes. Ad Septentrionem contingit Rupellam, ad Meridiem Burdegalenses Praecipua eius oppida sunt, vulgo, *Blaye*, quod nuncupatum fuit Blaia militaris, quia illic statua haberent Romani, quibus limitum cura demandata erat. Incolae gloriantur, magnum illum Rolandum Palatinum, in eorum oppido natum esse, eiusque Comitem fuisse: *Sant lan d'Angels. Barbesieux. Marans*, quod valida arx tuetur, titulumque Portus marini habet. *Maerennes*, mari vicinum esse, nomen indicat, totaque haec Regio maritima est, locusque commodus, vbi sal feruore solis excoquatut *Bourg*, Multis in super aliorum Burgorum, Arcium & pagorum huius Prouinciae est numerus, ex quo de Territorij praestantia fieri potest iudicium. In Insula vulgo de Rez dicta, aliaque Territorij Marennae ditionis sunt Santonum. Quibus Christi doctrinam primus inculcavit S. Eutropius, tempore Domitiani Imperatoris a S. Clemente in Galliam missus, quam & sanguine confirmavit, vt refert Gregorius Turonensis lib. 1. de mirac. ca. 56. quod tamen a quibusdam immerito controuertitur. Quem Eutropium fecutus est S. Palladius, qui attestante eodem loco, Gregorio Turonensi, templum S. Eutropij fundauit, quo loci corpus ipsius inuentum fuit. cuius sepulchrum etiam nunc hodie patet, in quo vulnera & cicatrices dilucide conspici possunt, a deo vt hisce indicijs & Palladij aliorumque votis sat comprobatum sit, primum Santonensium Antistitem propter Christianam fidem Martyrium subiisse. Palladio successit S. Ambrosius numero 4. post huc Viuianus. 8. fuit S. Troianus. 11. S. Leuis. 12. S. Vricus. 13. S. Dinancius. 14. S. Seuerinus. 15. S. Magnardus. Qui oes in exercendis pastoralibus facinosis salutis ipsorum gregis sic semper addicti fuere, vt animarum salutem potius quaererent, quam ouium lanae, vel ipsi degluberent, vel ab alijs deglabrari paterentur. 16. numeratur Alonus, qui illegitime Episcopatum adeptus est, quinimo nefarijs criminibus coopertus, magnam sibi ex omni scelertum, vitiorumque audacia turpitudinem atque infamiam contraxit, multaque in deos hominesque impie commisit, vnde facile colligi potest. Principes olim erga Christianos & Ecclesiam male affectos, probioribus & honestis exclusis, pessimos & inhabiles interdum ad huiusmodi dignitates promouisse. Post huc tamen complures recensentur Episcopi, qui magnam & immortalem sibi laudis famam, a quietate, industria, temperantia, miserorum defensione, odio improborum, studiorum magnitudine, officiorum opportunitate, incredibili in omnes humanitate, beneuolentia, fide parauerunt, vnde etiam amplissima clarissimaque magnarum virtutum illis constituta monumenta passim extant.